

uesta. Non posse autem naturam metalla transmutare per ca-
 lorem & frigus, frustra impetit, ut jam ante de ferro in cuprū
 per naturam mutato visum est. Hæc eadem argumenta in
 questione de mutua metallorum transmutatione idem odio-
 se repetit, cū negat substantialem metallorum transmuta-
 tionem his interrogatiunculis, thesi 88. *An quia generatio est
 opus solius naturæ? An quia quod natura non solet, ab arte fieri non
 potest? An quia nihil frustra fit in natura?* Item thesi 89. *Præ-
 terea (inquit) metallum in metallo nec actu nec virtute continetur.
 Sed quam hæc omnia sint falsa & futilia per hydrargyron ex
 metallo elicatum apparet, & per plumbi ex Mercurio con-
 structionem, cætera que superius patefacta. At horum corrup-
 tio, inquit, fit in deterius: quod verum est: sed Chymicus non
 corrumpit tantū, sed generat etiam per media naturæ con-
 iunctanea, ministerio artis. Quod autem aurum, quod facit
 Alchymia, non sit frigore cōstitutum, ut pyrotechnia docet,
 anè dicimus frigus non esse propriè rerum generativum, sed
 potius calorem. At metalla igni exempta frigore consistunt,
 id quod & Chymico auro non minus convenit, ut ipsa fusio
 docet, atque idem naturali auro competit, quod usu facile
 perdisces. Superest una quæstio, partim Physica, partim Theo-
 logica, an aurum per artem productum, sit verum naturale,
 & omnes proprietates auri naturalis tam in Medicina, quàm
 in cæteris rebus retineat, & si hoc non, an sit illicitum, & or-
 dini creationis contrarium. Negativum tuetur Pererius cap.
 supra citato loco: *Aurum, inquit, quod fit ab Alchymistis, li-
 quetissimum videatur vero auro, falsum tamen esse multis modis
 agnoscitur & iudicari potest, nempe vel ex pondere, vel ex eo, quia non
 resistit vim ignis; vel ex eo, quia iniectum in urinam amittit colo-
 rem suum; vel quia non est ductile in tenuissimas laminas; vel de-
 que quia non habet naturalis auri proprietates, quarum in primis
 commendatur confortandi cor humanum. Hæc Pererius. At
 meminisse debebat ex verbis Alberti ab ipso productis, aliud
 esse aurum & argentum (equivoce sic dictum) eorum qui per
 alba albificant, & per citrina citrinant, qui procul dubio de-
 ceptores sunt: aliud eorum, qui ex iisdem procedunt, ex qui-
 bus procedit natura, præsertim cū ipsemet subscribat, Al-
 bertum manifestè declarare, quis modus veri auri efficiendi
 sit possibilis, quis impossibilis. Sed in magno opere dormita-
 re per nos quidem Pererio licet, præsertim cū ejus ex phi-
 losophia depromptum iudicium multò sit sanius & æquius,
 quàm Hagelii, et si procul dubio ad Pererium respexit Hage-
 rius, cum thesi 84. scribit. *Plurimò non desunt, qui aurum quidem***